Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Officivm divinvm

urn:nbn:de:bsz:31-160625

Visual Library

cet *l. 8. diſp. 34. n. 57.* in litteris diſpenſationis ita expreſsè ſe declarare ſolet, ſe nolle eas in foro externo ſuffragari, vt dum impedimentum eſt ad id forum delatum, ac in eo pendet, nequeat Confeſſarius diſpenſare, quaſi iã nõ exiſtente impediméto occulto. Vtrum verò quando ſic diſpenſatur in Matrimonio irrito ob impedimentũ occultum, vt iterum ineatur, ſit iterum ineundum coram Parocho & teſtibus, vt poſſit iterũ iniri inter ipſoſmet ſolos contrahentes, non obſtante clauſula in diſpenſationibus hîc apponi ſolita *vt ſeruatâ formâ Tridentini celebretur, &c.* Vide dicta *V. Matrimonium.*

# OFFICIVM DIVINVM.

334. *Obligatio Minoritarum ad Officium Diuinum.*
*Conſtitutio Pij 5.* 335. *Decretum S. Congregationis.*
336. *Num liceat mutare Breuiarium?* 337. *Officium facere de Sancto, cuius habetur Reliquia inſignis.* 338. *Non inſignis.* 339. *Vbi titulus eſt Altaris ſeu Capellæ.* 340. *De Sanctis Diœceſanis.* 341. *Mutare officium vnius diei in aliud.*

342. *An repetendum quod in officij recitatione omiſsum eſt?*
343. *Peregrinus an ſit obligatus ad officium Territorij alieni?*
344. *Officium B. V. Mariæ, Defunctorum, Pſalmi Pœnitentiales & Graduales, &c. num obligent?*
345. *Modus recitandi horas Canonicas.*
346. *Exterior pronunciatio qualis eſſe debeat?*
347. *Quæ in recitatione requiratur Intentio?* 348. *Quæ Attentio?*
349. *Doctrina conſolatoria Lud. Bloſij.*
350. *Cauſæ excuſantes à recitatione officij.*
351. *Seruanda in recitatione publica officij Diuini.*
352. *Indulgentiæ Recitantium horas Canonicas.*

CCC-XXXIV. *Obligatio Minorit. ad officiũ Diuinum. Conſtitutio Pij 5.*

334. Religioſi Minoritæ, etiam carentes Ordine ſacro, tenentur ex vi Regulæ ad officium Diuinum *ſecundùm ordinem S. Rom. Eccleſiæ*, hoc eſt, prout in Breuiario Romano extat ordinatum. In quo tenenda eſt inprimis Conſtitutio Pij 5. *Quod à nobis*. præfixa Breuiario, in qua ſequentia præcipit. 1. *Ne Breuiarium ipſum vllo vnquàm tempore, vel totum vel ex parte mutetur: Nec ei aliquid addatur, vel omninò detrahatur.* 2. Vt officium Diuinum dicatur quotidiè ex *præſcripto* eiuſdẽ Breuiarij ac iuxta *formulam*

in

in eo traditam. Vbi *præſcriptum* indicat officium recitandum eſſe non quodcunque, ſed ſicut in Romano Calendario præſcribitur: *formula* autem, ritum ac ordinem in Rubricis diſpoſitum. *Ad hæc autem*, ait Pontifex, *vtentes Breuiario Romano omninò teneri, neminemque niſi hac ſola ratione ſeu formula ſatisfacere.* 3. Eximit Papa omnes omninò Clericos, vtentes Breuiario Romano, tam intrà, quàm extra Chorum, ab obligatione recitandi officium Defunctorum, Pſalmos Pœnitentiales, & Graduales. Idem etiam dicitur de officio B. V. ſaltem extra chorum; nam loquens de officio B. V. addit: *Hæc autem concedimus ſine præiudicio ſanctæ conſuetudinis illarum Eccleſiarum, in quibus officium paruum B. Mariæ ſemper Virginis in choro dici conſueuerat.*

335. Præter hæc S. Congregatio SS. Rituum, prout refertur in eodem Breuiario, ex præcepto Vrbani 8. decreuit: *non poſſe locorum ordinarios tam Sæculares, quàm Regulares, addere Calendarijs etiã proprijs, Sanctorum officia, niſi ea duntaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis vel S. Rituum Congregationis ſeu Sedis Apoſtolicæ licentiâ conceduntur: neque propriâ authoritate, quouis prætextu, mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano ſeu Rubricis Breuiarij, in altiorem ritum: Neque extendere* CCC-XXXV. *Decretum S. Cong.*

officia

*officia conceſſa de loco ad locum.* Nominatim *verò, ne feſtum cum officio vni Eccleſiæ particulare propter Sancti alicuius Patrociniũ aut aliquam Reliquiam celebretur alibi, quàm in ipſius Sancti Eccleſia titularia, ſeu vbi aſſeruatur corpus aut inſignis Reliquia.*

*Difficultates indicantur.*

Hæc ſupremi Rectores Vniuerſalis Eccleſiæ; circa quæ cùm plures oboriantur difficultates, & in omnibus propè Doctorũ opiniones inter ſe contrariæ, ponam hîc eas, quæ noſtro ſtatui peculiariter conueniunt, maioremq́ue probabilitatem præſeferunt.

CCC-XXXVI. *Nũ liceat mutare Breuiarium?*

336. Circa primum igitur *de non mutando Breuiario, &c.* licet Epiſcopi nihil poſſint addere Calendarijs, neque ritum mutare, ſeu quicquam ſtatuere conſtitutione perpetuò valiturâ, niſi ſint inſtituenda ex vi Rubricarũ, *pro Patrono, vel inſigni Reliquia, &c.* Id tamen poſſunt pro vna vel altera vice propter aliquã occurrentem cauſam, vt ex verbis ſupradicti Decreti S. Congr. oſtendit & ad Superiores quoque Regulares cum Pellizar. extendit Tambur. *in Decal. l. 2. c. 5. §. 2. n. 5.* Baſſæ. *to. 2. V. Horæ Canon. 2. n. 14.*

CCC-XXXVII. *Facere officium de Sancto cuius habetur Reliquia inſignis.*

337. Officium duplex fieri poſſe de Sancto, cuius Reliquia inſignis habetur & approbata, exiſtit Decretum S. Congr. *A. 1602. 1603. & 1605.* teſte Barb. *in Apoſt. Deciſ. Coll.*

532.

532. *n.* 4. *V. Officium Diuinum.* Quod vberius declarauit Greg. 13. in Bulla: *Paſtoralis offic ij.* penes Quaranta. *V. Officium Diuinum.* his verbis: *Item decernimus,* ait, *quod quælibet Eccleſia & Monaſterium Hiſpaniæ* (idem & alibi valere paulò poſt ſuadebitur) *habens aliquas Reliquias inſignes, puta, caput, brachium, vel crus alicuius Sancti etiã alienigenæ, nõ exiſtentis in Breuiario, vel de quo in Breuiario fit tantùm commemoratio, poßit illius feſtiuitatem celebrare & officium duplex facere, & de alio Sancto, eodem die occurrente, ſi fuerit ſimplex, fiat commemoratio: ſi verò fuerit duplex vel ſemiduplex, transfertur in primum diem ſimili feſto non impeditum, &c.*

338. De Sancto, cuius Reliquia non inſignis habetur, ſi concedatur officium, debet eſſe ſemiduplex, ad differentiam inſignis Reliquiæ. Aliàs de Sancto etiam Canonizato fieri nequit officium extra propriam Eccleſiam, ſine nouo decreto. De Sancto autem Beatificato, nec ab alijs Perſonis, nec alio die aut loco quàm deſignantur in Bulla Beatificationis poteſt dici officium aut Miſſa. Lezan. *to.* 1. *c.* 12. *n.* 37. CCCXXXVIII. *Non inſignis.*

339. Titulus Altaris ſeu Capellæ celebrandus eſt ſub ritu in Calendario deſcripto: ſi autem ibi non nominatur, ad illud altare celebrari poterunt Miſſæ feſtiuæ cum CCCXXXIX. *Titulus altaris & Capellæ.*

*Gloria in Excelſis*, ſed officium nullatenus fiat ſine licentia Maiorum. Lezan. *Ibid.*

CCCXL. *De Sactis Diœceſanis.* 340. Circa ſecundum, Licet FF. Minoribus celebrare officium de Sanctis ſui ordinis & quibuſdam alijs votiuis, ex conceſſione Pij 5. quæ inſinuatur in fronte *Proprij Ordinis.* Tenentur inſuper ad feſta propria Patronorum vel ſimilium Diœceſis, in qua morantur, per Conſtitutionem Greg. 13. *Paſtoralis officij* 30. *Decemb.* 1573. In qua hęc expreſſa legūtur: *Et quo die celebrabitur feſtiuitas Patroni vnius Diœceſis, Religiones omnes teneātur eādem die in ſuis Eccleſijs intrà limites illius Diœceſis exiſtentibus, eandē feſtiuitatem celebrare, & in hoc cum Eccleſia matrice ſe conforment, &c.* Aliorum feſtorum Diœceſanorum officia recitare poſſunt, ſed non tenentur. Primum colligit Tambur. *vbi ſup.* ex quadam Bulla Pij 5. quæ, ſicut & altera Greg. 13 licet ad Eccleſias Hiſpaniarum directa fuerit, tamen *propter paritatem rationis,* ait, *& conuenientiam, quam continet, ſi ab omnibus obſeruetur, laudabile eſt.* Quòd autem non teneantur, conſtat ex Decreto S. Cong. Concilij, quod refert P. Baſſæ. *to. 1 V. Horæ Canon. 4. n. 19. & to. 2. V. Eodem. 1. n. 15.* quo ſtatuitur, *vt Regularium ritus illis feſtis ſemper permaneat quoad Miſſas celebrandas & cætera Diuina officia tam publicè quàm*

priuatim

*priuatim ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſijs perſoluenda; nec circa hæc ab Epiſcopis quoquo modo quidquam in contrarium eiſdem Regularibus præcipi poſſe, &c.*

341. Plurimi DD. attentâ Conſtitutione Pij 5. præallegatâ, exiſtimant mutationem officij vnius diei in officium alterius diei deditâ operâ, eſſe mortale peccatum, & conſequenter mutantem non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, quæ non ſolùm præcepit recitationem Diuini officij in genere, verùm etiam in particulari, videlicet vt tali & tali die, tale & tale officium recitetur. Aliorum tamen opinio, quam refert, ac vt probabilem admittit Baſſæ. *to.* 1. *V. Horæ Canonicæ.* 2. *num.* 4. aſſerit peccare ſolùm venialiter, ſiue mutet in totum, ſiue in partem. Tambur. *l. c. num.* 20. ne venialiter quidem peccari docet, etiamſi officium, quod aſſumitur, ſit breuius eo, quod omittitur, ſi fiat citra contemptum vel animum introducendi nouum ritum, ex aliqua cauſa, vt ratione ſtudij, itineris, infirmæ valetudinis, vel etiam ratione non vulgaris Deuotionis, ſi v. g. in Eccleſia aliqua particulari alicuius Oppidi celebretur de aliquo Sancto ratione tituli vel Patronatûs; vel ſi ex ſemiduplici facias duplex. Idem dicit noſter P. Politius *in c.* 3. *Reg. n.* 4.

CCCXLI. *Mutare officiũ vnius diei in aliud.*

Si

Si repentina ſtudendi neceſſitas inſtet prò aliquo reſoluendo dubio, concionandi, prælegendi, iuuandi ad recitandum vno die vel altero aliquem infirmum, aut Prælatum, aut amicum defeſſum. *Ratio prædictorum*, ſubdit, quòd nullum ſcilicet admittatur peccatum, vel tantùm ſit veniale in caſibus prædictis, *ea eſt; quia huiuſmodi mutatio tam rara non videtur ita notabiliter contraire menti præcipientis & præſcribentis modum recitandi horas, vt ad culpam mortalem perueniat.*

Prædictam ſententiam limitat Baſſæ. *to. 2. V. Horæ Canon. 2. n. 7.* Niſi mutatio formæ, vel modi tranſgreſſio redundet in tranſgreſſionem Præcepti quoad ſubſtantiam illius. Quod fieri poteſt ex duplici capite. 1. Ex parte quantitatis defraudatæ, 2. Ex parte finis cultùs in celebritatibus colendis grauiter defraudati. Exemplum prioris ſit: ſi quis in Dominica recitaret officiùm feriæ tertiæ, vt citius penſum horarium perſolueret, peccaret mortaliter, quia ex modo iſto recitandi ſequitur defraudatio officij diuini in notabili quantitate. Item, qui in omnibus ferijs diceret officium feriæ tertiæ. Secus dicendum de illo, qui quando recitandum eſt de feria, recitaret de Sancto, quia defraudatio eſt in parua quantitate.

Item

Item peccaret mortaliter, qui in die Natalis Domini recitaret de S. Petro, propter notabiliter defraudatum finem cultus Eccleſiaſtici in celebritatibus colendis: etiam peccaret mortaliter propter vtramque cauſam, ſcilicet defraudatæ quantitatis & diuini cultûs Eccleſiaſtici euerſi, qui in Quadrageſima recitaret de feſto Reſurrectionis. Itaille, *poſt Dian. p. 7. tr. 11. Reſ. 7. De la Torre de Horis Canon. controu. 8. n. 6.* contra Caramuel. *in Reg. D. Benedicti. diſp. 109. n. 1389* qui docet illum adimplere præceptum quoad ſubſtantiam, & deficere quoad modum, qui officium totius Breuiarij breuiſſimum ſemper recitat.

342. Illud fatentur omnes, ſi per obliuionem aut inconſiderantiam, bonâ fide ex toto vel ex parte mutetur officium, peccatum nullum committi. Et ſiue ſponte ſiue inaduertenter fiat, non teneri ex præcepto repetere, licet laudabile ſit repetere, ſaltem ea, quæ ad proprium officium pertinebunt, etiamſi ſolùm eſſet hymnus vel lectio aliqua vel antiphona. Cùm non præſumatur Eccleſia velle ad duo officia adſtringere, maximè illum, qui ſine culpa eſt. Azor *p. 1. l. 10. c. 10. q. 2.* CCCXLII. *Omiſſorũ repetitio.*

343. Conſentiunt item DD. vt plurimum, ſi quis de loco ad locum tranſit, vbi aliud CCCXLIII. *Obligatio Peregrini.*

aliud habetur officium, vt obiter in illo loco ſit, poſſe, non autem teneri, illius Eccleſiæ officium dicere; quia Peregrinus poteſt, ſed non obligatur conformare ſe legibus loci. Non ſolùm autem ſi reipſa ſit in loco alio, verùm etiam in ſuo adhuc proprio exiſtens, recitare poterit tam Veſperas, quàm Matutinum feſti alterius loci, quò vel hodie vel cras mane perrecturus eſt; non tamen obligatur. Et ſi Veſperas aut Matutinum etiam in proprio quis loco, ſeu in ipſo itinere recitauit de aliquo Sancto ſeu feria iuxta ritum ſui Conuentûs, poteſt nihilominùs, vbi ad alium peruenerit Conuentum, vbi ſit aliud officium, pro libitu vel inchoatũ proſequi, vel alteri loco conformiter orare. Tambur, *l. c. n. 25. & 26.* qui *n. 29.* liberũ ſimiliter relinquit, vt qui ex errore de feſto duplici vel ſemiduplici, die proprio non recitauit, vel eo anno penitus omittatur vel recitetur primâ die non impeditâ officio nouem lectionum. Similiter *& n. 30.* Cùm quis hodie recitauit de feſto, quod debebat aliquo ex diebus ſequentibus recitare, vel hoc ipſum in proprio poſtmodùm ſuo die rurſum dicere, vel id (priuatim tamen) quod deberet recitari, ſi feſtum non eſſet.

344. Circa

344. Circa tertium; FF. Minores, qui ex præcepto Regulæ tenentur ſe conformare ritui Romanæ Eccleſiæ, & per hoc conſuetudinem non faciunt, non videtur eſſe in præcepto poſt Bullam Pij 5. vt etiam in Choro recitent officium B. V. & Defunctorum, necnon Pſalmos Pœnitentiales ac Graduales, vt poſt P. Polit. *in c. 3. Reg. n. 17.* annotauit Baſſæ. *to. 1. V. Horæ Canon. 2. n. 5.* In die tamen Commemorationis omnium Defunctorum, veroſimilius eſt omnes ex præcepto, etiam priuatim, obligari ad recitandum officium Defunctorum, ſicut & in diebus Rogationum & S. Marci ad Litanias in Breuiario aſſignatas, ab ijs, qui non interſunt Proceſſionibus. Baſſæ. *cit.* & Tambur. *n. 14.* contrarium tamen à probabilitate non excludens.

CCC-XLIV. *Officiũ B. V. Mariæ, Defunctorũ, Pſalmi Pœnitentiales, Graduales num obligent?*

345. De modo recitandi horas canonicas ſtatuitur in *c. 1. de Celebr. Miſſ.* vt *ſtudioſè* ac *deuotè* officium Diurnum & Nocturnum recitetur. Vbi Gl: verbum, *ſtudioſè*, ait, ad pronunciationem exteriorem referri; *Deuotè*, ad internum animi affectum. De vtroque plures etiam mouentur quæſtiones, quarum Reſolutiones notabiliores conſequenter cum breuitate ſubiungo.

CCC-XLV. *Modus recitandi horas Canonicas.*

CCC-XLVI. *Exterior Pronũtiatio qualis eſſe debeat?*

346. Exterior Pronunciatio 1. debet eſſe tanta, ſi quis cum alio oret, vt à ſocio audiri

queat. Si quis ſolus officium Diuinũ perſoluat, ſatis eſt, ſi ſic recitet ac proferat mouendo linguam & labia, vt verè dici queat, ore & voce preces fundere ſiue ab alio vel à ſe audiri poſſit ſiue non. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 11. *q.* 4. Vide Dian. *p.* 3. *tr* 7. *Reſp.* 58.

*Officij integritas.* 2. Recitari debet integrè ac perfectè, ſine omiſſione verborum aut mutilatione ſyllabarum: In quo lethaliter peccari, teſte Tambur. docent omnes, ſi notabilis fiat omiſſio vel negligentia voluntariè. Minuunt vel etiam tollunt aliquando rationem peccati, balbuties, inaduertentia, vel etiam conſuetudo, quam quis ſine magna difficultate corrigere nequit. Etſi verò nonnihil ea in re peccetur, repetendæ non ſunt preces ita recitatæ. Azor. *cit. q.* 11. Quæ porrò ſit pars notabilis, cuius omiſſio ſit mortalis & neceſſariò repetenda, non parùm controuertitur. Ex veriori, talis habetur vel parua aliqua hora, puta tertia vel ſexta, vel quicquid eſt paruæ horæ æquiualens. Quando pars neglecta notabiliter non æquat integram paruam horam, non omittit partem notabilem, neque adeò peccat mortaliter. Tambur. §. 2. *n.* 10. Qui totum vnius diei officium prætermittit, citra legitimam cauſam, multi pro numero horarum peccata multiplicant. Cōmunior iam ſen-

tentia

tentia vnũ tantùm admittit, eo tamen grauius, quo plures horæ omittũtur. Azor. *q.3.*

3. Recitandæ ſunt horæ ſecundùm ordinem, quem qui ſine cauſa iuſta inuertit, venialiter peccat: Qui per obliuionem aut inconſiderantiam vnam alteri præponit, aut ex cauſa legitima, vt ſi poſt incæptam Tertiam recordatur ſe Primam non recitaſſe, & nihilominùs Tertiam proſequitur, animo & voluntate poſtmodùm recitandi Primam, vel à ſocio rogatur ſimul dicere Nonam v. g. necdum dictâ Sextâ, excuſatus habetur à peccato. Azor *c. 10. q. 1.* Idem eſt, ſi quis præ manibus non habeat niſi Diurnum, poterit enim ſine ſcrupulo etiam venialis culpæ, recitare horas, ac domi recitare Matutinum. *Ordo.*

4. Verior ac probabilior ſententia ait recitantem cum interruptione non peccare mortaliter, ſiue ad longum, ſiue ad breue tempus interruptio fiat, dummodò continuatio fiat intrà eundem diem, & ideò repetendum non eſſe, quod ante recitatum eſt. Balſæ. *to. 1. n. 16.* quia ſinguli Pſalmi, imò ſinguli penè verſus per ſe ſuum habent pondus & completam ſignificationem, ſuntque per ſe vel precatio quædam vel laudatio vel ſententia, non habens connexionem neceſſariam cum alijs. Itaque qui vnum Noctur- *Interruptio.*

num vel etiam vnum duntaxat pſalmum hoc mane v. g. recitat, vel qui Matutini partem, etiam vnum eiuſdem pſalmum recitauit pridiè veſpere, ſi poſtea antequàm ſpiret tempus præſcriptum, nempè media nox ſequens, recitet reliquum, mortaliter non delinquit. Et ſi cauſa ſubſit, v. g. itineris, aut alicuius negotij, aut aliquid ſaluti, honori, familiæ aut alijs bonis noſtris vel proximi neceſſarium ſuperueniens, etiam leuis culpa facilè vitabitur. Azor. *c. 8. q. 3.*

*Tempus.* 5. De tempore, *aſſerunt omnes*, teſte eodem Auct. *c. 10. q. 3. ſi preces horarias ante tempus ipſis deputatum, Clericus recitet, intrà eum tamen diem, ad quem pertinent, Eccleſiæ præcepto ſatisfacere, nec eas eſſe iterandas. Ex quo fit, vt etiamſi Primæ horæ officium longè ante Solis ortum, poſt mediam tamen noctem, perſoluitur, repeti non debeat: Et Veſpertina item aut Completa oratio ante meridiem recitata, iteranda ratione præcepti non ſit.* Matutinum autem & Laudes recitari poſſunt ab hora tertia poſt meridiem, ſecundùm Gauant. *in Com. Rubr. Miß. t. 2. S. 1. c. 5. tit. 6. n. 6.* Sanchez *relatus à Dian. p. 7. tr 11. Reſ. 12.* Et Baſſæ. *t. 2. V. Horæ Canon. 3. n. 1.* docent legentem horâ ſecundâ, probabiliter ſatisfacere præcepto, neque mortaliter peccare, licet quis nondum recitaſſet Veſperas & Com-

Completoriũ diei hodiernæ, cùm horarum ordinem peruertere etiã ſine cauſa veniale tantùm ſit. Nonnulli Recentiores, pro tempore recitandi Matutinum & Laudes ſequentis diei non malè hanc generalem dant Regulam; vt hora congrua recitandi Matutinum ſit, cùm Sol magis diſtat à Meridie quàm ab occaſu.

6. Ad exteriorem quoque pronuntiationem ſpectat, vt horæ dicantur *loco decenti, eáque corporis compoſitione*, quâ quis exterius ſe gerit in ſpeciem orantis, abſtinetque ab operibus externis, quæ mentis attentionem impediant. Venialiter peccabis per irreuerentiam, ſi abſque neceſſitate v. g. in lecto decumbens vel ſub immodeſta corporis poſitione ſine delectu recitares. Tamb. §. 6. Ita qui penſum horarum exſoluit, dum veſtibus ſe induit, vel ſpoliat, vel faciem lauat, vel quid ſimile facit, nonniſi leuiter peccat; cum eiuſmodi opera ſint leuia, facilia & conſueta, & animi debitam attentionem non impediant. Azor. *c. 12. q 7.* *Locus.*

347. Altera particula, *Deuotè*, duo denotat, *Intentionem & attentionem*. Intentio duplex eſt, actualis & virtualis; *Actualis* eſt, quando quis reipſa animo proponit orare & laudare Deum. *Virtualis*, quæ & Implicita dicitur, eſt, quando quis deliberatè & ad- CCCXLVII. *Intentio.*

uertenter aliquid facit, quod confert proximè ad recitandum Diuinum officium, qualis eſt, audito ſigno campanæ chorum accedere, Breuiarium accipere &c. etiamſi tunc expreſsè non cogites: *Ego volo recitare Laudes Dei, vel meo muneri ſatisfacere.* Atque hæc virtualis intentio ſufficit, etiamſi toto reliquo tempore quis involuntariè ſit diſtractus. Non ſatisfaceret autem præcepto, qui intenderet legere officium ſolùm, prout materialiter ex Pſalmis, lectionibus &c. conſtituitur, ob ſtudium, vel cauſam ſimilem. Baſſæ. *to. 1. V. Horæ. 2. n. 23.*

CCCXL-VIII. *Attentio.* 348. *Attentio* alia eſt actualis, alia virtualis, alia demùm habitualis. *Actualis* eſt, cum quis actualiter attendit ad verba, ne in eorum prolatione erret; vel ad ſenſum verborum, vt is intelligatur, vel ipſum Deum ſeu aliquid Diuinum & ad rem quam petit. *Virtualis* eſt, quâ quis ex virtute prioris attentionis actualis continuat orationem, etiamſi ad alia fortè mens diuagetur, ſed inadvertenter, ac præter intentionem. *Habitualis* eſt quædam animi propenſio ex præcedentibus actibus relicta, qualis etiam in dormientibus eſſe poteſt. Hæc habitualis attentio nō ſufficit ad orationem, quia non facit opus humanum, ſed omnino requiritur actualis aut virtualis, cum animo virtuali

ali ad Deum vel ad rem quæ petitur. Syluius. *2. 2. q. 83. a. 13.*

349. Nullibi magis quàm in oratione ſeſe humana vanitas exerit ac prodit. Cum anima noſtra ideò tantùm creata ſit, vt Deo, ſummo bono, perpetua viſione & amoris dulcedine coniuncta viuat, ad eum tamen, in hac mortali vita, nonniſi laborioſiſſimo conatu aſſurgit; vix momentum ſubleuata in eius contemplatione perſiſtit, & fulgure citiùs ad ima decidit. Hinc orandi tœdium, & vt maximè ad orandum temet fatiges, cordis anxietas & mille ſcrupuli. Quibus ne ſuccumbas, aut meticuloſus tepeſcas, ecce tibi conſolatoriam deuotiſſimi Bloſij Inſtructionem. CCCXLIX. *Doctrina Conſolatoria L. Bloſij.*

*Aduerte*, ait in Canone vitæ Spiritualis. *c. 17. vt præſentem animum habeas dum precaris, Deumq́ue laudas, facito id diligenter & cum debita* Reuerentia*: nunquàm deliberatâ voluntate conſentiens ineptis cordis cogitationibus: Si verò tam inſtabilis atque volubilis fuerit mens tua, vt verbis orationis attendere non poſſis, nequaquam ob id indigneris, neque deijciaris animo, ſed grato, placito tranquilloq́ue ſpiritu fac quod in te eſt, bonam voluntatem* Deo *offerens & conſtantem patientiam exhibens. Eſto humilis potiùs, quàm puſillanimis. Quamuis minùs attentus plurima prætereas, ſubinde tamen vel vni verbulo attendis: quod ſi nec vnū*

*verbum attentus pronunciare potes, ne ſic quidem perdis operam, ſi vigil rectus corde fueris: Internam perplexitatem, internum impetum, nimis anxiam ſollicitudinem, nimis vehementem cogitationem atque conatum ſapienter vitato: & multiplices rationes attentionis ſeruandæ ne inconſtanter perquiras. Iſta enim confuſionem in anima gignere & diuinæ gratiæ ſaporem excludere ſolent. Sacrorum verborum ſenſus, quos pro tuo captu Spiritus Sanctus ſuggeſſerit, mentem tuam ſuauiter afficiant, ſimpliciterq́ue occupent: non autem imagines aliundè cū labore quæſitæ fatigent aut inuoluant. Si Spiritus S ſpiritum tuum ad ſublimiora aliqua euocauerit, traxeritq́ue, ne temerè obnitaris: Eius ductum per omnia ſequere: ipſe enim prorſus nouit, qua, quomodo, & quouſque pergere debeas. Sicut modò dicebam, dum oras paratam voluntatem ſemper habe attendendi his quæ profers: & cor tuum ab intempeſtiuis cogitationibus placidè expedi, maximè initio precationis. Quod vt faciliùs præſtes, extra tempus orationis, ſtude animum habere liberum. Si hoc feceris, reliquum committe Deo, & tranquillus lætusq́ue permane. Neque enim iam Deus imputabit tibi diſtractiones, quibus inuitus ex fragilitate abriperis. Planè illi ſatisfacies, etiamſi attendere non poßis. Planè humilis patientia, hilaris animi gratitudo, ſanctaque erga eum fiducia,*

*ducia, compenſabit quod diſpenſatione ſenſuum peccatum fuerit. Nam ipſe Dominus non minus ſpectat, neque minus diligit in nobis rationabilem conatum, piamque voluntatem benè operandi, quàm ipſum opus. Scit, quare nos mente ita inſtabiles eſſe nonnunquàm permittat. Scit, quomodo animas noſtras à Superbiæ, Philautiæ, vanæque gloriæ inquinamentis vel tutari vel propugnare debeat.* Ita ille,

350. Inter cauſas excuſantes à recitandis horis canonicis potiſſima eſt Infirmitas grauis, ob quam pronuntiatio verborum valdè noceret valetudini corporis; leuis autem infirmitas non excuſat, qualis eſſe poteſt dolor ſtomachi, capitis vel pectoris, aut etiã aliquando febris tertiana aut quartana, præſertim cùm huiuſmodi febris non ſoleat toto die vehementer affligere, ita vt non vacet tempus ad horas canonicas recitandas, quia obligatio recitandi horas ſtrictiſſima eſt. Baſſæ. *to.1. V. Horæ Canon. 6. n.1.* Quia tamen, quæ in corpore valido ſunt leuia, in ægro ſunt plerunque grauia mala, & pia Mater Eccleſia nequaquam cum tanta ſeueritate nobiſcum agit, mitius etiam quidam agunt cum ægris. Regula tamen certa dari nequit, ſed ferè relinquitur diſcretioni & judicio Medici vel Superioris ſi adſint. In dubio, an grauis vel leuis ſit morbus, aut

CCCL. *Cauſæ excuſantes.*

grauiter

grauiter nocitura recitatio, infirmus non tenetur ad horas, quia non tenetur ſe periculo grauis damni exponere. Qualiter circa eoſdem diſpenſare poſſint Prælati Regulares *vide V. Diſpenſatio. n.* 158. *&* 162. Extat inſuper inſigne & præ cæteris authenticũ Priuilegium Pauli 3. conceſſum Congregationi Clericorum Regul. S. Pauli decollati & per cõmunicationem, alijs etiam Religioſis, tam infirmis, quàm eorum Miniſtris, vt infirmitate aut circa infirmos occupatione huiuſmodi durante, certum pſalmorum, per ipſum Superiorem eis aſſignandorum numerum non minus ſeptem aut ſex cum diuiſione, & orationem Dominicam ſepties ac Symbolum Apoſtolorum bis. Grauiter autem ægrotantibus, Orationem Dominicam ſemel, Salutationem Angelicam ſepties in die recitando, ſeptem horis Canonicis & toti Diuino officio ſatisfeciſſe cenſeantur. Ita refert Lezan. *to.* 1. *c.* 12. *n.* 28.

CCCLI. *Seruanda in recitatione publica.*

351. Prælati in officij Diuini ordinatione quinque præcipuè ſeruare debent. 1. Vt officium diſtinctè, alta & clara voce recitetur. 2. Vt attentè ac deuotè, cum debita maturitate & interpunctione. 3. Horis ſtatutis, non alijs, abſque legitima & rationabili cauſa dicatur. 4. Vt in Choro diuina officia, prout ratio temporis poſtulat, alter-

natim

natim canantur vel recitentur, attentèque audiantur. Idque non curſim, non perturbatè, nõ ſyncopando, nec extranea ac prophana vel inhoneſta permiſcendo, ſedendo, ſtando, caput aperiendo, ac inclinando, antiquas Ordinis à SS. Patribus introductas cæremonias & conſuetudines maximè ſeruandas curet. *De his vid. Seraph. D. S. Bonauent. in Speculo Nouit. p. 1. c. 14. & 15.*

352. Indulgentias Recitantibus officium Diuinum conceſſas videre eſt in Comp. Priuil. Mendic. *V. Officium Diuinum. 2. & 3.* Inter quas memorabilis eſt, quam conceſſit Leo 10. quòd Religioſi Ordin. Minor. qui officium Diuinum ſoluerint per librum, conſequantur remiſſionem dimidiæ partis peccatorum commiſſorũ illâ die, qua prædictum ſoluunt officium. Singulares aliquæ comprehenduntur ſeqq. verſiculis. CCCLII. *Indulgentia.*

*Quando IESVS nominatur, ſi deuotè inclinatur,*
*Dantur Indulgentiæ, à Ioanne Vigeſimo*
*Secundo Papa optimo, dies quaterdecies.*
*Ad Campanam cùm pulſatur, ſi Aue MARIA dicatur,*
*Dantur dies totidem.*
*Et ad Gloriam Pſalmorum, quandocunque tenent Chorum,*
*Si benè ſunt inclinantes, quadraginta ſunt lucrantes.*

Leo

Leo 10. conceſſit, quòd quicunque (ſiuè Sæcularis ſiue Regularis) dixerit poſt recitatas Horas Canonicas orationem *Sacroſanctæ, &c.* pro felici ſtatu Summi Pontificis & S. Eccleſiæ, conſequatur plenariam remiſſionem omnium defectuum in ijs humanâ fragilitate commiſſorum, eorum ſcilicet, qui vel per nullam culpam, vel venialem tantùm committi poſſunt in tali recitatione, ita vt ab onere iterum repetendi recitata cum ipſis, excuſetur recitans. Lezan. *V. Officium Diuinum. n. 13.*

## ADDITIO.

Quæſtio mihi nuperrimè propoſita anſam dedit peropportunè declarandi magis doctrinam n. 337. traditam, quæ cùm frequentem hoc tempore praxin habeat, non ingratum fore duxi, meam deſuper factam reſolutionem, ordinario ac legitimo judicio corroboratam huc verbotenus attexere.

Reuerende Obſ.me Pater.

Nudius tertius a R. V. P. litteras accepi, quibus poſtulat ex me, quo cultu honorari poſſit Caput S. Siſynij Diaconi & Mart: ſibi ab Ill.mo D. Comite in Embs donatum? Reſpondi tum ex tempore (abitum accelerante Tabellario) coli poſſe ſicut & aliorũ SS. Corpora etiam Horis Canonicis, &c.

de

de conſenſu tamen, ſaltem ad cautelam, Epiſcopi; abſolutè autem videri ſufficientem Reu-di P. Prouincialis, &c. Quandoquidem hæc materia nuper tacta fuit in Definitione, occaſione ſermonis habiti de SS. Reliquijs, quæ in aliquot noſtris Conuentibus habentur, volui, nactus interim horas conſiderandi plures, ſimul & rationem reddere mei reſponſi, & ad communem illam quæſtionem, quid ego ſentiam, paucis reſcribere.

De caſu ergo præſenti; poſſit alicui videri definitus in terminis ab Azor. *l. 9. Inſtit. Mor. c. 8. q. 8.* vbi, *ſi roges*, inquit, *quid ſi vir pius & religioſus fide dignus mihi tradiderit Reliquias alicuius Sancti, licebítne mihi eas pro Reliquijs venerari? Reſpondeo, priuatim id licere, quia tanto viro fides eſt habenda; at verò publicè nequeunt exponi, niſi Epiſcopo eas primùm recognoſcente & approbante.* Sic ille.

Veruntamen cùm author iſte reſtringens SS. Reliquiarum venerationem ad priuatũ illarum cultum, loquatur ſolùm de cultu SS. Reliquiarum ex teſtimonio purè priuato, vt patet ex contextu & Sanch. *l. 3. Mor. c. 33. n. 13.* ad noſtrum propoſitum plenè non facit, ſiquidem pro præſenti S. Siſynij capite habetur ( vt ſuppono ) teſtimonium inſuper authenticum & publicum. Vnde ſicut

tùt ſententia Doctoris afferentis rationem aliquam fundamentalem habetur maximi, non ex auctoritate præcisè Doctoris, ſed fundamenti quo fulcitur, ita & hîc. Intereſt tamen adhuc difficultas, quòd D. Comes S. Caput donauerit, non vt fieri ſolet ſigillis munitum & cum atteſtatione præſenti, &c. Vnde dubitari non immeritò poterit, an de hoc vel alio litteræ teſtimonium ferant? quapropter Sanch. *cit. n. 18.* licet aſſerat, *quando Reliquiæ ſunt legitimè approbatæ Bullâ Apoſtolicâ, aut teſtimonio Diœceſis Epiſcopi, à qua transferuntur in aliam Diœceſin, Epiſcopi huius non eſſe earum veritatẽ examinare, quia iam legitimè comprobata ſit.* Ait tamen *huius eſſe examinare, an ſint eæ reliquiæ, quæ in litteris Apoſtolicis, aut teſtimonio Epiſcopi continentur, vt ſic det licentiam publicè eas collocandi in ſua Diœceſi.* Verùm iſta difficultas per ſe cadet, cognito, quis facultatem dare poſſit, vt eiuſmodi SS. Reliquiæ colantur ritu publico.

Ad rem igitur ipſam vt veniam, ſuppono inprimis, quod in Breuiculo meo dixi *n. 337 vbi habetur Reliquia inſignis, puta Caput, brachium vel crus alicuius Sancti, de hoc poſſe fieri officium duplex, &c.* hoc deſumpſi ex Lucernâ Regular. Io. Mariæ Nouarini *V. Officium Diuinum. n. 7.* cuius nunc affero

verba propria: *Officium duplex* (ait) *de aliquo Sancto in die eius feſtiuitatis recitari poteſt in Eccleſia vel Monaſterio, vbi illius Sancti eſt Reliquia, ex declaratione S. Cong. Rit. de A. 1605. 24. Sept. in vna Viſen, & aliàs de A. 1602. 23. Nou. in vna Vicentina, dummodò tamen Reliquia ſit inſignis, vt corpus integrum, magna pars corporis, caput, &c. & ſic de SS. approbatis in Martyrologio, & tunc in Eccleſia tantùm, vbi eſt Reliquia, ſeruatis Rubricis Breuiarij, ex declaratione eiuſdem S. Cong. 23. Iun. 1617. in Vrbis Theatin. & adde Gauant. in Theſ. 1. to. p. 7. tit. 11.* Hæc ille. Itemque Barbos. *in Deciſ. Apoſtolicis V. Officium. n. 4.* de ſimplici licentia faciendi officium in honorem SS. An verò ad hanc requiratur alterius & cuius auctoritas, deciſum habetur in Decreto alio *ſub die 7. Apr. An. 1638.* communiter nunc apponi ſolito Breuiarijs poſt Bullas Pontificias, cuius hæc ſunt verba propria. *Sacra Rituum Congregatio* ( inquit ) *declarauit & decreuit non potuiſſe poſt Bullam Pij 5. de Breuiario Romano, neque poſſe locorum Ordinarios, tam Sæculares, quàm Regulares addere Calendarijs etiam proprijs, Sanctorum officia, niſi ea duntaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis vel S. Rituum Congregationis ſeu Sedis Apoſtolicæ licentiâ conceduntur, &c. Item vetuit, & prohibuit celebrari per totam ciuitatem vel Diœceſin,*

*ſin, etiam de cuiuſcunque Ordinarij auctoritate, feſtum cum officio, eò quòd in loco adſit Eccleſia Parochialis vel Regularis vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia, ſed tantùm in ipſius Sancti Eccleſia Titulari, ſeu vbi aſſeruatur corpus aut inſignis Reliquia, & non alibi. Inſignes autem Reliquias declarauit eſſe Caput, brachium, crus aut illam corporis partem, in qua paſſus eſt Martyr, modò ſit integra, & non parua, & legitimè ab Ordinarijs approbata, &c.* Ecce, quomodo in materia officij celebrandi nomine Ordinariorum promiſcuè ponantur & ſumantur tam Sæculares, quàm Regulares.

Itaque in Decreto iſto de officio ordinando Ordinarijs tam Secularibus, quàm Regularibus aliqua prohibet, & èconțra per exceptionem, concedit alia. Prohibet 1. ne Calendarijs, etiam proprijs Sanctorum officia addant; concedit autem, ſi vel Breuiarij Rubricæ, vel Sedis Apoſtolicæ licentia adſit. 2. Prohibet celebrari, etiam de *cuiuſcunque Ordinarij* (Sæcularis aut Regularis) auctoritate feſtum cum officio, &c. concedit autem pro alicuius Sancti Eccleſia, ſeu vbi aſſeruatur inſignis Reliquia, &c. v. g. caput, &c. modò ſit integra, non parua, & legitimè ab Ordinarijs approbata. Videtur igitur ex his 1. parem eſſe auctoritatem Ordinario Sæculari ac Regulari in officio

officio canonico ordinando, qualis eſt etiam noſter P. Prouincialis. 2. Concedit vtriſque addere proprijs Sanctorum Calendarijs officia inſuper eorum, quæ vel Breuiarij Romani Rubricis aut S. Cõgregationis vel Sedis Apoſtolicæ licentiâ conceduntur: concedi autem ſubiungit tali auctoritate, quando inſignis aliqua habetur Reliquia, puta caput &c. legitimè ab Ordinarijs approbata. In hoc vltimo dicto licet verbum, *Ordinarijs*, ſtrictè ſumamus, ita vt SS. Reliquiarum approbationem ſolis Epiſcopis conuenire dicamus ob rationes inferiùs hîc afferendas, adhuc tamen valebunt Prælati Regulares, ſuppoſitâ iam SS. Reliquiarum approbatione legitimè factâ per Epiſcopos; poterunt, inquam, Prælati Regulares, quales ſunt noſtri Prouinciales, officia Rubricis Breuiarij aliàs conformiter (vt iubet Pius 5. *in Bulla, quæ in fronte Breuiarij præponitur*) inſtituere, ſui loci, vbi talis Reliquia conſeruatur, Calendario adſcribere, &c. Siquidem vbi de hoc in iſto Decreto agitur, expreſſa fit Ordinariorum *quorumcunque* etiam Regularium denominatio. Securè itaque fit, vt approbatio non fiat niſi de conſenſu Epiſcoporum, quibus tantummodò, neutiquam verò alijs quancumuis quaſi Epiſcopalem poteſtatem ha-

beant, judicium recognoſcendi SS. Reliquias competere, probat Barboſa *de offic. & pot. Epiſc. alleg. 97. n. 9.* ex illis verbis Conc. Trid. *ſeß. 25. de Inuoc. & vener. SS.* (*nemini licere, niſi recognoſcente & approbante Epiſcopo*) ponderando dictionem illam, *niſi*, quæ vim habet taxatiuæ dictionis. Ponderando etiam verbum illud, *nemini*, quod importat omnimodam excluſionem. Denique quia ibi fit mentio Epiſcopi, vnde excluditur inferior. Nouarinus quoque *in Lucerna Regular. V. Reliquiæ SS. n. 3.* quem ſequitur Lezan. *eodem tit. n. 8.* refert expreſſam declarationem S. Congregationis *in vna Viterb. ſub die 26. Iun. A. 1627.* Reliquiarum iſtarum cognitionem, num ſint veræ & exponendæ, etiam in Eccleſijs Regularium ſpectare ad Epiſcopos locorum Ordinarios, qui poſſint mandare, vt interim cuſtodiantur in loco decenti ſibi benè viſo, & apud eos retinere claues, &c. In iſta SS. Reliquias recognoſcendi comiſſione tametſi nulla fiat expreſſa mentio venerationis earundem publicæ, ſimul tamen in eadem comprehendi & implicitè contineri facultatē concedendi publicum cultum, liquet non ſolùm ex præallegatis atteſtationibus Romanis, in quibus abſque mentione examinis alterius, ſola exprimitur facultas SS. Reliquias transferendi

rendi & exponendi publicæ fidelium venerationi de licentia Ordinarij, &c. Verum etiam ipſo jure tam antiquo, quàm nouo Tridentino, in quibus coniunctim agitur de Reliquiis & veneratione SS. In Decretal. *lib. 4. tit. 45.* in ſexto Decret. *l. 3. tit. 22.* Clement. *lib. 3. tit. 16.* Extrau. comm. *l. 3.* ac demùm expreſſius in Trid. *ſeß. 25. Decreto de Inuocatione, veneratione & Reliquijs Sanctorum & ſacris Imaginibus*, vbi ſignatè ſtatuit S. Synodus *nemini licere vllo in loco vel Eccleſia etiam quomodolibet exempta vllam inſolitam ponere vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda eſſe noua miracula, nec nouas Reliquias recipiendas niſi eodem recognoſcente & approbante Epiſcopo, &c.* quibus cùm adeò ſit annexa veneratio eorundem, veroſimile eſt iiſdem competere facultatem concedendi recitationem officij diuini in honorem Sanctorum eiuſmodi, ſiquidem *annexi & connexi idem eſt judicium*, etiamſi annexum ſit maioris valoris. *c. Cum ſingulis. Iunctâ. Gl. V. Annexi. de Prabend. in 6.* Barbos. *in axiomat. tit. 29.* Et cùm cultus iſte publicus præſupponat approbationem Epiſcopi, *antecedente conceſſo, conceſſum eße & conſequens.* Barbos. *ibid. tit. 30. per l. 1. §. 1. ff. ſi vſusfr.* tum vel maximè *quando antecedens eſt neceſ-*

 *ſarium*

*ſarium ad conſequens conſequendum, vt ibidem tradit* Barbos. *n.* 1. & in præſenti caſu contingit. Veroſimile inquam eſt, vnâ factam eſſe Epiſcopis recognoſcendi SS. Reliquias, & præſcribendi cultum ipſarum, adeòque & inuocandi ac honorandi per ſacrificia & officia diuina; non tamen hoc eſt certum, vt explicitam ad hoc vltimum Regulares ab Epiſcopis licentiam poſtulent; atque vt Epiſcopis abſolutè concedamus SS. Reliquias recognoſcendi & approbandi facultatem, iſtâ tamen ſemel obtentâ, eoipſo conceſſa & altera videtur tanquàm illi virtualiter incluſa, non tam ab Epiſcopo, quàm S. Pontifice, eo ferè modo, quo factâ per Epiſcopos Regularium ad excipiendas Sæcularium confeſſiones approbatione jurisdictionem & exercendi poteſtatem non ab Epiſcopo, ſed Papâ recipiunt, ſecundùm dicta n. 106. Quare cùm Reliquiæ SS. nouæ non ſunt, quæ in examen veniant, abſque alia Epiſcoporum requiſitione licebit Regularibus vti declaratione S. Congregationis præmemoratæ & in Breuiarium repoſitæ. Tanto magis quod in præſcribendo modum officij Diuini Epiſcopi nullam penitus in Regulares habeant juriſdictionem, ſed nec ipſi quidem quicquam in ſuis etiam Eccleſijs circa Diuinum officium ordinare

valeant,

valeant, niſi quantũ eis ſingulariter S. Pontifex conceſſerit, &c. Vt ergo finaliter dicam, quod ſentio, jus recognoſcendi & approbandi SS. Reliquias ſimpliciter Epiſcopis adiudico; quòd ſi approbationem & recognitionem teſtimoniorum Pontificiorum ab Epiſcopo ordinario acceperint, Prælati Regulares eas publico fidelium cultui exponere, & vt diuino officio, ſi ſit inſignis pars, venerentur, poterunt iubere. Faciunt tamen contra Concilium Trident. quicunque ſine licentia Ordinarij Epiſcopi exponunt ad publicum cultum ſeu nomine Eccleſiæ. Publicus enim cultus non ex eo dicitur, quia coram multis exhibeatur, ſed quia exhibetur nomine totius Eccleſiæ, tanquàm ab illa inſtitutus, &c. De his videſis Sanch. *cit. l.* 2. *in Decal. c.* 43. Peyr. *in addit. ad Conſtit. Leon.* 10.

# POENA ECCLESIASTICA.

353. *Pœna Eccleſiaſtica quid ſit?* 354. *Quotuplex?*

355. *Cenſuræ Eccleſiaſtica.* 356. *Irregularitas.* 357. *Priuatio vocis.* 358. *Actuũ legitimorum.* 359. *Officiorum.*

360. *Ad incurrendũ pœnas quid requiratur?*

361. *Cauſæ ab incurſu pœnarum excuſantes.*